

determinavit ; (peccatum contra justitiam strictam, et obligatio restitutionis).

2o Fingendi paupertatem, quando satis habetur ad honestam sustentationem ; (donationes invalidæ sunt, deficiente causa finali, nec retineri potest quod oblatum fuit a fidelibus ex hujusmodi errore substantiali). Et talis fraus eo facilius est gravis, quo pauperiores sunt donatores.

3o Sibi appropriandi oblationes ad alium usum destinatas per voluntatem episcopi vel offerentium ; (violatio justitiae strictae, et restitutionis obligatio).

4o Deteriorandi in commodum sui ipsius vel amicorum suorum hortos, prata aedificiae, et alia bona ecclesiastica, quorum solus ipsi competit usus fructus ; (obligatio restitutionis).

5o Exigendi stricte et dure quod ipsi debetur, imo adhibendi sacramenta, etiam maxime necessaria ad salutem, tanquam media efficacius obtinendi quod juste vel injuste vult obtinere. — Unde — 1o parvuli absque baptismo, et infirmi absque sacramentis relinquuntur, et nonnunquam moriuntur ; — 2o quidam debiles in fide scandalizantur, et se suosque sacramentis privare malunt, quam pecuniam tali modo exactam solvere ; — 3o — contra voluntatem Ecclesiae et ipsius Christi, pauperes, vel in rebus temporalibus opprimuntur si conditionem requisitam impleant, vel bonis spiritualibus fraudantur si resistant ; — 4o — Haeretici et nominales Catholici nostra sacramenta sacerdotiumque blasphemant, clamantes *quaestum esse pietatem*, etc. — In his omnibus contra charitatem et religionem peccatur multipliciter, nempe per immisericordiam, scandalum, simoniam, etc.